



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel  
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Gubernatore Deo  
Distribvta**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1648**

Capvt II. Quid sit, & quotuplex paupertas; tresque pauperum classes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)



posuerit frenos amenti gradui, quàm in vastum se se proripuerit nemus, ingentiq; cum molestia ibi diem totum egerit. Noctu urbem petens, cum portas offendisset clausas, in firmi aceruo prostratus, lucem expectauit. Manè verò urbem ingressus, in fabri cuiusdam lignarij domo abstrusit se se, ibiq; iugiter per sex menses solus, ac sine libris, vitam protraxit, plenam tristitia, Diris, execrationibus, desperatione, & similem vitæ damnatorum. Huc redigit inopia. Nonné ergo grande malum est paupertas? Et tamen, vt initio diximus, à Deo est. Quo modo à bono potest esse malum? Hæc spina est, quæ pungit ineruditos, aut, vt veriùs dicam, impatientes, diuinorumque iudiciorum ignaros.

## C A P V T. II.

*Quid sit, & quotuplex paupertas; tresq; pauperum classes.*

## §. I.

*Pauperum inani querela quomodo satisfiat?*

**M**agnus est numerus hoc morbo laborantium; multi hac plaga icti superos querelis suis percusserunt, quorum



quorum vulnus numquam veniet ad cicatricem, nisi didicerint consilia Dei rectius æstimare. Ad quæ non curiosè, sed piè scrutanda Propheta quoque hanc quæstionem induxit: *Iustus quidem tu es, Domine, si disputem tecum: verumtamen iusta loquar ad te:*

Jerem. 18.

10

*Quare via impiorum prosperatur? bene est omnibus, qui prevaricantur, & iniquè agunt? Plantasti eos, & radicem miserunt: proficiunt, & faciunt fructum.* Ad quam quæstionem abundè respondet Dominus, cum ait: *Beati, qui nunc esuritis: quia saturabimini. Beati, qui nunc fletis: quia ridebitis, &c. Verumtamen va vobis dicitibus, quia habetis consolationem vestram. Va vobis qui saturati estis: quia esurietis. Va vobis qui ridetis nunc: quia lugebitis, & flebitis.*

Luc. 6. 26

Numquid enim hæc sufficiens est caussa, cur mali copiâ gaudeant, boni inopiâ premantur? quis iam non mavult esse Lazarus, quàm epulo purpuratus? Scitum est illud Bedæ dictum: *Mali nihil habent in calo, boni nihil habent in mundo.*

Quod solum verbum pellere potest omne fastidium ex egestate. Sed altiùs rimandum est, quid sit paupertas, & quàm varia, itemque an, aut quæ mala? immò potiùs, qui sint pauperes, & quàm diversi; & si qui sunt

B

mali,



mali, an non ipsi potiùs mali, quàm paupertas? cùm plurimi sint, quos optimos fecit paupertas; plurimi, quos diuitiæ pessimum dederunt; quamuis nec ipsæ malæ, sed (quemadmodum inopia, atque egestas) vel virtutum, vel vitiorum instrumenta, prout in bonas malasue mentes inciderunt.

Eccli. II.  
14.

Quoniam igitur *paupertas & honestas à Deo sunt*, & utroqueversus trahi possunt, homini, non Deo attribuendum est, si quid mali coniungitur cum paupertate. Vnde rectè

Prouerb.  
17, 5.

in Prouerbio dicitur. *Qui despicit pauperem, Deo exprobrat*, cuius tamen sapientissimam in rebus dispositionem, vel ipsi pauperes laudant, si sunt sapientes.

§. II.

*In quonam consistat paupertas?*

Quid igitur est paupertas? Vulgus malè eam putat esse aliquid quod possidetur; vocat enim exiguas opes paupertatem. *Meam*, inquit, *paupertatem magno labore corrasam, seruo in arca: meam paupertatem pro agro, pro villula expendi, meam mihi paupertatem furatus est seruus furcifer*. Ita enim vulgus loquitur, vt id, quod modicum est, non autem quod deest, appellet paupertatè; & si fur abstulit, quod parum aderat, *abstulit*.



*stulit, inquit, mihi meam paupertatem. Si rectè loqueretur, non diceret, abstulit, sed auxit mihi meam paupertatem, quando id abstulit, quod recondidi. Eo diues erat, quod possederat: itaque priuatione pauper factus est, non possessione. De hoc nominis errore etiam in scholis fuisse disputatum docet Seneca his verbis. Vnus tibi nodus, sed Herculeus, restat. Ex malis bonum non fit: ex multis paupertatibus diuitia sunt: ergo diuitia bonum non sunt. Hanc interrogationem nostri non agnoscunt, Peripatetici & fingunt illam & solvunt. Ait autem & Posidonius, hoc sophisma per omnes dialecticorum scholas iactatum, sic ab Antipatro refelli. Paupertas enim non per positionem, sed per detractionem dicitur, vel (ut antiqui dixerunt) per orbationem: Graeci dicunt, κατὰ στενωπῶν: non quod habeat, dicitur, sed quod non habeat. Itaque ex multis inanibus nihil impleri potest: diuitias multa res faciunt, non multa inopia. Aliter, quàm debes, paupertatem intelligis. Paupertas est, non, qua pauca possidet (alioqui qui nihil penitus possideret, pauper non esset, cum sit omnium pauperri- mus) sed qua multa non possidet. Ita non ab eo dicitur, quod habet, sed ab eo, quod ei deest. Facilius quod volo exprimerẽ, si Latinum ver-*

Senecæ  
 epist. 87.



*bum* esset, quo ἀπορία significatur. Hanc paupertati Antipater assignat. Ego non video, quid aliud sit paupertas, quam parvi (vel etiam nullius) possessio. Quod contra Senecam, ex ipsius Senecæ principijs addo. Si enim paupertas non per positionem, sed orbationem dicitur, cur non etiam illius parvi possessione, quæ illi paupertas est, aliquis vel inuitus, vel sponte orbari possit? Præterquam quòd parvi possessio, non per detractionem, sed positionem dicatur. Rectè tamen paupertas parvi, vel nullius possessio potest indigitari; quia in possessione parvi, orbatio magni intelligitur. Quod si vidisset Martialis, nequaquã pauperem, aut paupertatem ita descripsisset:

Martial.  
lib. II.  
Epigram.

*Nec toga, nec focus est, nec tritus cimice lectus,*

*Nec tibi de bibula facta palude teges.*

*Nec puer, aut senior, nulla est ancilla, nec infans,*

*Nec sera, nec clavis, nec canis atque calix.*

*Tu tamen affectas, Nestor, dici atque videri*

*Pauper, & in populo quaris habere locum.*

*Mentiris, vanoq; tibi blandiris honore:*

*Non est paupertas, Nestor, habere nihil.*

Immo



Immò maxima est paupertas, *habere nihil*.  
Cur enim ad paupertatē exigatur alicuius,  
licet parui possessio? aut cur possessio ad  
orbationem possessionis? Parui possessio in-  
dicat, non facit paupertatem; quæ longè  
maior est, vbi nullius, ne teruncij quidem  
possessio reperitur; vti certè apud multos  
Sanctos fuit, qui ne acum quidem, aut filum  
suum esse dixerunt, omni omnino rerum  
proprietate à se abdicatâ, vt non solùm  
Connæ tibicini comparari possent, qui ni-  
hil habuit, præter oleastrum; verùm etiam,  
vt ne puluisculum quidem possiderent. Et si  
enim cibo, potuque & victu alijsque rebus  
indigerent, tamen numquam se earum do-  
minos vocârunt. Potest enim vsus rerum à  
dominio discriminari. Maneat ergo, pau-  
pertatem in eo consistere, quòd quis careat  
ijs rebus, quas aptus est habere; & quò plu-  
ribus caret, eò esse pauperiorem.

## §. III.

*Quotuplex sit paupertas, vel pauperes?*

Quòd autem vnus multum, alius parum,  
tertius omnino nihil possideat, aliquando  
quidem à solo rerum omnium Domino ac  
Deo, aliquando etiam ab homine, aliquan-  
do à dæmone quoque, aut aliunde est. Si à



solo Deo est, vel beneficij, vel supplicij loco debet haberi. Si ab homine quoque est; vel ex virtute, vel ex scelere, aut certè sordidiâ, vel imprudentiâ parum, aut nihil possidetur. Si denique dæmon, aut siccitas, aut inundantia aquarum, aut incendium, aut hostis est causâ nostræ egestatis, aut alia quæpiam res naturalis, ne id quidem accidit sine nutu Dei, aut sine iustâ causâ, sed ad virtutem nostram vel excitandâ, vel probandam, vel exercendam, vti Iobo euenit, cuius sanctissimi viri armenta bouū & asinarum latrones Arabes abegerunt; greges cælestis ignis, cum ipsis pastoribus suis deuorauit; camelos Chaldæi ceperunt, Orco omnia procurante, sed non prius, quàm illi à Numine frænum esset laxatum. Rectè porrò paupertatē, ratione illorum, qui eam seruant, in duplicem classem distribuit Ho-

Horat.  
l. 2. ep. 2.

ratius :

*Sunt, qui non habeant, est qui non curat  
habere :*

Hugo de  
claustr.  
animæ  
lib. 1, c. 9.

sed rectiùs eam classem triplicem esse docuit Hugo, cùm dixit: *Paupertatis tres sunt species. Sunt enim quidam, qui rebus temporalibus egent, sed inuiti: & hac vocari egestas solet; egent enim rebus, & egent bona voluntate, quæ ditius*



ditius nihil esse potest. Sunt alij qui rebus abundant, sunt tamen pauperes spiritu; & hac est aurea paupertas, quia licet affluant diuitia, corda tamen nolunt apponere. Tertia est mediocritas, quam Philosophi vocant frugalitatem, quae est voluntaria. Itaque tres sunt classes pauperum. Quidam carent opibus, sed contra suam voluntatem: hinc dolent, fallunt, peierant, furantur, latrocinantur, & mille technas inueniunt, vt paupertatem excutiant, diuitias adipiscantur. Alij rebus affluunt, sed mente illis non affiguntur: hi Deo se permittunt, & diuinæ prouidentiae regimen semper putant esse bonum, quidquid agat. In quocumque casu dicunt: *Nonne Psal. 61. J. Deo subiecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum. Nam & ipse Deus meus, & salutaris meus, susceptor meus, non mouebor amplius.* Quare perinde illis est, siue apponatur illis aliquid, siue auferatur. Tertij ita philosophantur, vt videant etiam in paupertate maiorem virtutum, in diuitijs frequentiore scelerum occasionem esse: quare, relictis opibus, & calcato auro, paupertatem sponte amplectuntur.

## §. IV.

*Prima classis inuitè paupertatem ferentium.*

B 4

In



Senec.  
epist. 2.

In prima classe sunt omnes, quibus inui-  
tis aliquid deest, etiam alioqui ditissimi.  
Non qui parum habet, sed qui plus cupit, pau-  
per est. Quid enim refert, quantum illi in ar-  
câ, quantum in horreis iaceat, quantum pascat,  
aut fœneret, si alieno imminet, si non acquisita,  
sed acquirenda computat? ait Philosophus.  
Qui in hac classe versantur, ijs sua pauper-  
tas est molesta, & fit occasio omnis generis  
vitiatorum. Appetiuit arma Achillis Ajax, ap-  
petiuit Vlysses; data sunt Vlyssi, negata  
Aiaci,

Quid. lib.  
13. Metâ.

Hectora qui solus, qui ferrum, ignemq̄,  
Iouemq̄  
Sustinuit toties, unam non sustinet iram:  
Inuictumq̄, virum vincit dolor: arripit  
ensem:  
Et meus hic certè est: An & hunc sibi po-  
scit Vlysses?  
Hoc, ait, utendum est in me mihi: quique  
cruore  
Sape Phrygum maduit, domini nunc cede  
madebit,  
Ne quisquam Aiacem possit superare, nisi  
Ajax.  
Dixit, & in pectus tum demum vulnera  
passum.

Quid



*Qua patuit ferro, lethalem condidit ensen,*  
 Mortis tam funestæ quæ causa fuit? pau-  
 pertas? armorum negatio? at multis & ar-  
 ma, & alia longè plura defuerunt, neque  
 tamen ferro incubuere: non ergo orbitas,  
 non paupertas causa fuit tantæ miseriæ, sed  
 occasio, qua malè vsa est cupiditas & impa-  
 tientia Aiacis. Apud Suetonium: *Domiti-*  
*anus Imp. pubertatis ac prima adolescentia tem-*  
*pus, tanta inopia, tantaq; infamia gessisse fertur,*  
*ut nullum vas argenteum in usu haberet. Sa-*  
*tisq; constat, Clodium Pollionem pratorium vi-*  
*rum, in quem est poema Neronis, quod inscri-*  
*bitur Luscio, chirographum eius conseruasse, &*  
*nonnumquam protulisse, noctem sibi pollicentis.*  
 Maluit scilicet sceleratus adolescens, inho-  
 nesta admittere, quàm paucis contentus  
 esse. Quo in crimine sunt omnes, qui, aut  
 quæ, ut egestatem à se propulsent, meretri-  
 candi, adulandi, depeculandi, & deniq; nul-  
 là non malâ arte, pecuniam faciunt, quo-  
 rum dux & antesignanus est Iudas, qui ut  
 argentum acquireret, non dubitauit eum  
 vendere & prodere, in quo sunt omnes  
 thesauri diuitiarum. *Quid vultis mihi dare,*  
*inquit, & ego vobis eum tradam?* Maluit ca-  
 rere Deo, quàm triginta argenteis. Quan-

Sueton.  
 in Domi-  
 tiano.

Mathe.  
 26, 15,



ta hæc est egestas non bonæ monetæ, sed bonæ voluntatis? Hi tales omnes sanè calamitosi sunt, & deplorandi; sed non facit eos tales paupertas, voluntas facit, quæ si recta esset paupertate rectè vterentur, ut bonas artes, quibus ad diuitias peruenitur, & discerent, & factitarent.

S. V.

*Altera classis patienter paupertatem tolerantium.*

Altera classis vehit eos, quibus cum nihil desit, perinde est, abundare, & penuriam pati. Altè enim animo impresserunt illud:

**Psal. 61.**  
**11.**

*Nolite sperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiscere: diuitia si affluant, nolite cor apponere.* Hæc paupertas non in rebus, sed in

**Matth. 3.**

animi virtute sita, meritò aurea vocatur; quia *beati pauperes spiritu.* Cur beati? *spe,* quia *ipsorum est regnum calorum:* immò & re, quia talibus nihil accidit, quod eos contristet. Si dat diuitias Deus, accipiunt, & gratias agunt; si aufert rursus, bene contenti sunt; immò læti sunt; & hoc ipso adhuc diuites sunt. Vel Epicuro fatente, *Honesti res est, lata paupertas. Illa verò non est paupertas, si lata est. Cui enim cum paupertate bene conuenit, diues est,* inquit Seneca. Ita

**Senec.**  
**sp. 2.**

con-

con-



constitutos esse omnes oportet, qui animo volunt esse tranquillo. Quisquis enim non potest æquè paupertatem ferre, atque opes possidere, semper in metu hæret, ne per vim aut fraudem amittat illud, in quo pacem mentis collocavit. Cui autem perinde est, vel habere, vel carere, tamquam rupes quædam immota stat, procellis vndique allisis & fractis, & circumlatrantibus duntaxat. Eiuscemodi rupes fuit ille, qui vndique & vndique dispoliatus dixit: *Nudus Iob. I, 21. egressus sum de utero matris mee, & nudus revertar illuc: Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum. In omnibus his non peccavit Iob labijs suis; neque stultum quid contra Deum locutus est.* Potest ergo aliquis fieri pauper, & non peccare; potest aliquid amittere, & nihil stultum contra Deum loqui. Quare non paupertas, sed improbitas, aut cupiditas, in causa est, si quis ad inopiam redactus, aut re aliqua priuatus insanit, quemadmodum, superius vidimus, Antonium Vrceum Codrum, Grammaticum, amisso per incendium libro, insaniuisse.

## §. VII.

*Ad utrumq; parati, & contenti exemplum.*

AC



Ac ne Iobum tantum, grande illud patientiæ miraculum, adduci in exemplum, posse existimemus, sunt alij complures, quibus perinde fuit, siue aliquid daretur, siue auferretur. Historia est insignis, quam, quia etiam pauperes, ac Religiosos præsertim, non lædendos esse docet, è Venerabili Beda, prolixius transcribam. *Fuit homo quidam diues, inquit, & honorabilis, in regionibus Orientalium, cui nomen erat Daire: quæ rogans S. Patritius petijt ab eo, ut aliquem locum daret ei, ubi monasterium construeret, & sancta Conuersationis religiosè uiuentibus mansionem prepararet. Respondit diues ille dicens ad S. Patritium, Ecce terra coram te est. Dic ergo mihi, quem locum desideres ad inhabitandum? Pete, inquit S. Patritius, ut illam altitudinem terra, qua nominatur Saileg, dones mihi ad inhabitandum, ut construam ibi locum ad cultum diuinum. At ille noluit dare S. Viro terram altam quam petierat, sed dedit illi locum alium in inferiori terra, & habitauit ibi S. Patritius cum suis. Post aliquot dies venit Eques Dairi diuitis præfati, ducens equum Domini sui satis opimum, ut pasceretur in herbose loco Christianorum, & offendit Patricium talis depastio equi ex loco suo, dixitq; stultè fecit Daire mittens anima-*

Beda lib.  
2. de vita  
S. Patri-  
tij.



animalia bruta turbare locum paruum, quem obtulit Deo. At verò eques non attendit ista verba, sed dimisso ibi equo nocte illa discessit: Crastina verò die veniens videre equum, inuenit eum iam mortuum, reversusq; ad dominum suum cum festinatione dixit ei: Ecce Christianus ille occidit equum tuum: offendit enim illum turbatio loci sui. Et dixit Daire servis suis: dignus est morte iste homo, qui reddidit nobis malum pro bono, ergo occidite eum. Euntibus verò servis ad interficiendum eum dicto citius repentina mors irruit super Daire. Dixitq; uxor sua; causâ Christiani est hac mors. Eat quis citò & portentur ei beneficia nostra, & renocentur, qui exierunt occidere eum. Exeuntes ergo duo Viri ad sanctum Patritium dixerunt ei, Ecce infirmatur Daire, portetur illi aliquid à te, si forte sanari possit. Sanctus autem Patritius, sciens qua facta sunt, benedixit aquam, & dedit eis dicens: Ite & aspergite dominum vestrum, & equum eius hac aquâ. Et fecerunt, sicut praecepit eis sanctus vir, sanatusq; est Daire, & renixit equus eius aspersione aqua sancta. Venit ergo Daire ut honoraret sanctum Patritium portans secum aneum scyphum mirabilem ac pretiosum capientem metretas ternas, dixitq; Daire ad S. Patritium, Ecce hic aneus sit tecum



tecum ob memoriam meam. Et ait ei S. Patritius Grazagam. Reuersus autem Daire domū dixit ad suos, stultus est homo, qui nihil aliud mihi respondit, cum darem ei aneum vas pretiosum, prater solum verbum Grazagam. Adidit q̄ Daire dicens militibus suis. Ite reportare nobis aneum nostrum, quia ingrātē accepit eum homo ille. Venerunt itaq̄ ministri Dairi, & dixerunt Patritio: Misit nos Dominus noster vt reportemus ei aneum suum, quia ingrātē accepisti eum. Et illa vice S. Patritius nihil aliud dixit prater Grazagam. Reportantibus autem illis interrogauit Daire seruos suos dicens: quid dixit Christianus ille, quando reportastis aneum? At illi dixerunt Grazagam. Et ille respondens dixit: mirabilis est homo iste, qui nihil aliud dixit quā Grazagam in dato, Grazagā in ablato. Vt video bonum est eius dictum Grazaga, & non malum. Reportetur ergo illi rursum aneum vas. Et remisit illi rursum scyphum argenteū dicens ei, sit tecum aneus tuus: Constans enim & incommutabilis homo es, & verbum bonum, non malū profers. Insuper & partem illam agri, quam olim petisti, do tibi nunc, quam meliorem habeo, vt inhabites eam. Accepit ergo S. Patritius pradium optatum, & placitum sibi, & adificauit in eo monasteria, & ha-



& habitationes religiosorum Virorum. In quo loco nunc ciuitas est *Arithmache* nominata, ubi sedes Episcopatus, & regiminis est *Hybernia*.

En quàm multum accepit *Patritius*, cui perinde fuit, siue ditaretur, siue spoliaretur: & quemadmodum *Iob* dixit; *Dominus dedit, Dominus abstulit*; ita *Patritius*, cùm *scyphum* acciperet, *Grazagam* dixit: cùm eum ammitteret, iterum *Grazagam* dixit.

Utinam hæc vox nobis in corde semper, & in ore esset, quàm parum dolere nos ostenderemus, si aliquid nobis vel amicus, vel hostilis miles auferret? *Grazaga* enim, si bene conijcio, aliud nihil fuit, quàm *Gratias ago*, quod linguæ Latinæ non bene gnari *Grazagam* se audiuisse putauerunt. Itaque qui nouit penuriam & abundantiam esse à Deo, libenter vult ex eorum esse censu, qui

*Patritium* imitantur, *gratias agentes semper* Ephes. §. pro omnibus, in nomine Domini nostri IESU 20.

*Christi, Deo & Patri. Magnus ille est, ait Philosophus, qui fictilibus sic utitur, quemadmodum argento: nec ille minor est, qui sic argento utitur, quemadmodum fictilibus. Infirmi est animi, Pati non posse diuitias: fortis, inopiam æquè, ac opes sustinere.*



## §. VII.

*Ad utramq; fortunam parati virtus.*

S. Aug. in  
sup. Psal.  
61,

Ad hanc indifferentiam respexit & Psalmus illis verbis: *Diuitia si affluant, nolite cor apponere. Ille igitur, inquit S. Augustinus, qui non habet, non ambiat; is qui habet, non superbiat. Et non dicit, nolite habere, sed cor apponere. Non enim damnat diuitias, sed cor appositum, quod scilicet non expendit, sed recondit. Vtrumque igitur licet bene agere, & Croesum & Irum. Oportet, inquit Teles Pythagoricus, sicut bonum histrionem, quamcumq; personam poeta imposuerit, eam decori exsequi & sustinere: sic & bonum virum quamcumq; fortuna dederit. Nam & haec, ait Bion, velut poeta, aliquando primi, aliquando ultimi actoris personam imponit, est & cum Regis, & alia mendici. Et Zeno pronunciauit, esse nono histrioni simile sapientem, qui siue Thersita, siue Agamemnonis personam acceperit, utramque decenter exprimit & imitatur. Sed multo magis sapiens Christianus, nam cum nihil magis aestimet, quam Deum, credatque, quidquid Deus vult, non posse esse nisi aequissimum, sanctissimum, optimum, utilissimum, ita suam voluntatem cum diuina coniungit, vnit, conformat, ut quam pri-*

Laert. in  
Zenone.

mum



mum aliquid Deum velle, intelligit, illico  
 & ipse velit; dicatque: *Fiat voluntas tua,* Matth. 6.  
*sicut in celo, & in terra.* Quod si sensus se 10.  
 opponit, & inferior homo contrarium sug-  
 gerit, illico subiungit: *Non sicut ego volo,* Matth.  
*sed sicut tu.* 26. 39.

§. VIII.

*Tertia classis paupertatem diuitijs antepo-*  
*nentium.*

Tertia denique classis eos habet, qui pau-  
 pertatem sponte diuitijs prætulērunt, tam-  
 quam ad benè viuendum longè accommo-  
 datiore. Quod quidem etiam Philosophi  
 Ethnicorum fecisse leguntur. Epictetus pa-  
 tria Hieropolitanus, quàm pauper fuit,  
 tam dijs & Philosophiæ se se amicum judi-  
 cavit. Anaxagoras Clazomenius, sæpe di-  
 cebat: *Nemo simul & virtutes, & diuitias*  
*possidere potest.* Quamobrem amplum patri-  
 monium suis sponte concessit, pauperque  
 studijs adhæsit, Laërtio teste. Qui etiam te-  
 statur Socratem pauperem semper fuisse,  
 fordidoq; palliolo contentum, nudis pedi-  
 bus incessisse. Plato certè, vt Suidas refert,  
 solum in Academia tenuit hortum, qui  
 pars minima fuit eorum, qui illi successerunt.  
 Hortus enim tres aureos numos pen-  
 debat:

C

debat:



Sabell.  
lib. 8. c. 5.  
Volat.  
l. 15. An-  
throp.

Laërt. l. 6.

Apul. in  
Florid.

Senec. ep.  
30.

debat: omnis autem proventus pòst, mille, aut plurium fuit. Democritus Abderites, nihil præter ingenium possedit: vel quia noluit, vel quia non debuit. Demonax Philosophus, qui floruit Adriano imperante, nullum umquã viaticum sibi præparauit: sed cùm esuriret, in proximam domum, quam aptam videbat, ingrediebatur, & victum ibi quæritabat. Centenarius decessit, elatus publico sumtu, vt testatur Volaterranus. Diogenes Cynicus solitus est ioco dicere, sibi tragicas execrationes contigisse, quòd esset ἀνέσιος, ἀπολις, ἀπατεις, πτωχὸς, ἀλητὴς, καὶ ἡμερόβιος: id est, domo, ciuitate, patriâ, carens, pauper, erro, & in diem viuens. Hac atq; hoc genus alia partim cùm audiret à Diogene Crates, alia sibimet ipse suggereret, deniq; in forũ exilit, rem familiarem abiecit, velut onus stercoris, magis labori, quàm vsui. Dein coetu factò maximo exclamat: Crates, inquit, Cratetem manu mittit. Exinde non modò solus, verùm nudus & liber omnium, quoad vixit, beatè vixit. His omnibus vsque adeò paupertas mala non fuit, vt etiam bona videretur. Si vis scire, quàm nihil in illa mali sit, inquit Romanus sapiens, compara inter se pauperum & diuitum vultus. Sapius pauper.



pauper, & fidelius ridet: nulla sollicitudo in alto est: etiam si qua incidit cura, velut nubes leuis transit. Horum, qui felices vocantur, hilaritas ficta est, aut grauis, & suppurata tristitia: & quidem grauiore, quia interdum non licet palam esse miseros: sed inter arumnas cor ipsum exedentes, necesse est agere felicem. Sapius hoc exemplo mihi utendum est: nec enim vlllo efficacius exprimitur hic humane vite mimus, qui nobis partes has, quas male agamus, assignat. Ille qui in scena elatus incedit, & hac resupinus dicit,

En impero Argis, regna mihi liquit Pe-  
lops,

Qua Ponto ab Helles atque ab Ionio mari  
Urgetur Isthmos:

Seruus est, quinque modios accipit, & quinque denarios. Ille qui superbus, atque impotens, & fiducia virium tumidus ait,

Quod nisi quieris, Menelae, hac dextra  
occides:

diurnum accipit, in canaculo dormit. Idem de istis licet omnibus dicas, quos supra capita hominum supraq; turbam delictos lectica suspendit: omnium istorum personata felicitas est. Contemnes illos; si despoliaueris. Equum em-  
turus solui iubes stratum, detrahis vestimenta



venalibus, ne qua vitia corporis lateant: hominem involutum aestimas? Mangones, quidquid est, quod displiceat, aliquo lenocinio abscondunt. Itaque ementibus ornamenta ipsa suspecta sunt: siue crus alligatum, siue brachium adspiceres, nudari iuberes, & ipsum tibi corpus ostendi. Vides illum Scythia Sarmaticæ regem, insigni capitis decorum? si vis illum aestimare, totumque scire, qualis sit? fasciam solve. Multum mali sub illa latet. Quid de alijs loquor? Si perpendere te voles, sepone pecuniam, domum, dignitatem: intus te ipsum considera. Nunc qualis sis, alijs credis. Hæc ille, cui, sicut & ceteris recensitis, magis utique placet penuria, quam abundantia. Et hoc ob animi pacem, quæ ibi maior est, ubi pecunia est minor.

## §. IX.

*Qui paupertatem putent etiam esse gloriosam?*

Christus Servator, & Christiani, ob longè altiores causas, diuitijs paupertatem anteposuerunt, suo loco indicandas. Hic sufficit illud apponere, quod Ethnicis paupertatem, adeoque & vilitatem Christiano gregi obijcientibus, M. Minutius Felix respondit. Ceterum, quod plerique pauperes dici-

M. Minut. Fel.  
in Octavio.

mur,



mur, non est infamia nostra, sed gloria. Animus enim ut luxu soluitur, ita frugalitate firmatur. Et tamen quis potest pauper esse, qui non eget, qui non inhiat alieno, qui Deo dives est? Magis pauper ille est, qui cum multa habeat, plura desiderat. Dicam tandem quemadmodum sentio: nemo tam pauper potest esse, quam natus est. Aues sine patrimonio viuunt, & in diem pascua pascuntur: & hac nobis tamen nata sunt: quae omnia si non concupiscimus, posidemus. Igitur, ut qui viam terit, eò felicior, quò leuior incedit: ita beator in hoc itinere viuendi, qui paupertate se subleuat, non sub diuitiarum onere suspirat. Et tamen facultates, si utiles putaremus, a Deo posceremus utique, indulgere posset aliquantum, cuius est totum. Sed nos contemne re malumus opes, quam continere: innocentiam magis cupimus, magis patientiam flagitamus: malumus nos bonos esse, quam prodigos.

## §. X.

Miseria eorum, qui agrè ferunt, sibi aliquid deesse, & Plutum, ut Deum, adorant.

Ex triplici hac hominum classe, tria licet colligere. Ex prima, quia sunt qui egent, sed inuiti, eam ipsam ob caussam eos merito egere, ut doleant, quia volunt inde dolere, vnde alij commodum accipiunt, alij



etiam sentiunt animi voluptatem. Paupertate enim alij ex virtute contenti sunt, alij etiam delectantur, auari autem cruciantur. Qui quantumcumque habeant, tamen pauperes sunt, immò miseri, quàm diu non habent, quod concupiscunt. Vis exemplum?

3. Reg.  
21. 1.

*Vinea erat Naboth Iezrahelita, qui erat in Iezrahel, iuxta palatium Achab regis Samaria. Locutus est ergo Achab ad Naboth, dicens: Da mihi vineam tuam, ut faciam mihi hortum oleorum, quia vicina est, & prope domum meam, daboq; tibi pro ea, vineam meliorem: aut si commodius tibi putas, argenti pretium, quanto digna est. Cui respondit Naboth: Propitius sit mihi Dominus, ne dem hereditatem patrum meorum tibi. Venit ergo Achab in domum suam indignans, & frendens super verbo, quod locutus fuerat ad eum Naboth Iezrahelites, dicens: Non dabo tibi hereditatem patrum meorum. Et proiciens se in lectulum suum, auertit faciem suam ad parietem, & non comedit panem. Vide mihi diuitem pauperem; vide regem egentem; vide viribus integris in lecto iacentem, vide indignantem & freudentem, nec comedentem! quid miserius hoc homine? Quid eum cruciat? paupertas? immò propria cupiditas. Habuisset satis, si quidquam*



quam avaro potuisset esse satis. Fuit rex Samariae, & eguit, quia non fuit dominus vinearum. Quid ergo Mundi Rector facere debuisset? an oportuisset innocenti Naboth nihil dare, regi omnia? Achab accepit regnum, & contentus non fuit, quia non accepit etiam olerum hortum. Naboth caruit regno, contentus horto, quis dignus fuit hortum habere? nonne ille, qui paruo contentus fuit? Apud Laërtium Socrates quosdam hospites tenui coena excepit, quaerenti cur ita fecisset, respondit: *Si boni sunt, aequanimiter ferent, si mali, non est curandum*; neque enim vel hoc ipso digni sunt, quo eos excepi. Ita Deus, quibus moderatas in hoc mundo tribuit opes, si boni sunt, tribuit sufficientes, aiunt enim, *habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus*; si autem mali sunt, non est curandum; quia nec digni sunt, qui communem aërem hauriant, aut quos terra portet. Apparet igitur, quos non tam paupertas, quam suamet voluntas miseros faciat; ardent enim insatiabili cupiditate, & illud sitiunt, quod alij contemnunt. Hinc paupertatem putant esse calamitatem, & Aurum adorant ut Deum, Plutumque maximum Numen arbitrantur.

1. Tim. 6.  
8.



trantur. Hinc illorum cantilena est:

Petron:  
Arbit. in  
Satyr.

*Quisquis habet nummos, secura nauiget  
aura,*

*Fortunamq<sub>3</sub> suo temperet imperio.*

*Vxorem ducat Danaën, ipsumq<sub>3</sub> licebit*

*Acrisium inbeat credere, quod Danaën.*

*Carmina componat, declamet, concrepet,  
omnes*

*Et peragat causas, sitq<sub>3</sub> Catone prior.*

*Jurisconsultus, paret, non paret, habeto,*

*Atque esto, quidquid Seruius & Labeo.*

*Multa loquor: quiduis nummis presentibus  
opta,*

*Et veniet: clausum possidet arca Iouem.*

§. XI.

*Paupertatem & diuitias in utramq<sub>3</sub> partem,  
hoc est, bene & male posse adhiberi.*

Ex altera hominum classe colligo, paupertatem, seu orbitatem rerum esse calamo, aut penicillo, aut cuius instrumento similem. Qualis is est, qui eo utitur, tale opus producit. Da calamum puero, & tales characteres formabit, quales gallina scalpit in arenis. Si scriba peritus calamū ducat, litteras dabit Iouis tabellā dignas. Penicillum porrige ei qui chiragrā laborat, ex Gratijs Furias faciet; Apelles autem aliquis, & qui  
manum



manum habet sanam, ipsas Furias ita ad vivum exprimet, ut iures eis omnes Gratias Veneresque inesse. Ita ad eandem lyram, si asinus veniat, & Apollo, quàm diversam musicam audies? Tale instrumentum est paupertas, ea si cupido, si improbo, si impatienti obueniat, erit illi occasio omnium vitiorum; quemadmodum & diuitiæ esse solent. Quòd si verò animus moderatus vel diuitias acquirat, vel inopiam patiatur, quàm bene alterutris utetur? inopia quidè, quia tamquam spiritu pauper, non dolebit, argento amisso: diuitijs autem, quia illis cor non apponit. Itaq; ut per scalas alij ascendunt, descendunt alij, ita per opes & inopiam, alijs via est ad cælum, alijs ad Orcum. Quemadmodum enim nihil refert, vtrum hominem ægrum in sella lignea, an aurea portes: quocumq; illum transfuleris, morbum suum secum aufert: ita nihil refert, vtrum æger animus in diuitijs sit, vel in paupertate; malum suum semper illum sequitur. Qui malus est, in inopia furatur: in abundantia prædatur; deijcitur in egestate; inter thesauros insolescit. Bonus, si abundat, pauperibus donat; si perdidit omnia, nomen Domini benedicit, aitque se nunc



expeditiùs ire ad cælum. Sapienter Socra-  
tes diuitias, aiebat, in manu improbi, esse  
velut gladium in manu phrenetici, cui gla-  
dius ad nihil seruit, nisi & in propriam per-  
niciem, & in exitium aliorum; ita enim o-  
pes si sunt in manu hominis mali, ad vindi-  
ctam, ad luxum & luxuriam, ad comessa-  
tiones & comotationes, ad mille vanita-  
tes illi sunt adiumentum; ast in manu Deum  
timentis, & pij, ad eleemosynas, ad libera-  
litatem exercendam, ad omnia opera præ-  
clara seruiunt. Ad eundem quoq; modum  
paupertas bonis fit bona, mala malis; non  
quòd ipsa mala, sed quia illius vsus aliò tra-  
hitur, quàm à Deo destinatur. Similis est  
ergo aquæ Ægyptiorum, quæ, vt Iosephus  
trahit, in manu quidem Israëlitarum aqua  
munda; at si quis eam Ægyptius hausisset,  
fœdus sanguis fuit. Ad eundem modum pau-  
pertas, apud homines frugi & gnauos, lim-  
pida est, & virtutum parens; apud ignauos  
vertitur in sanguinem peccatorum. Quàm  
benè paupertate sua vsus est Lazarus? quàm  
præclare & paupertate, & diuitijs Iob? cum  
egeret, patientia; cum abundaret, conspi-  
cuis fuit liberalitate, vt dicere auderet:  
*Oculus fui caco, & pes claudus, pater eram pau-  
perum.*

Exod. 7.

Iob. 29.  
15.



*perum.* Itaque ut vino alij sanantur, alij ad insaniam rediguntur; sic diuitijs & inopiâ nonnulli exorbitant, nonnulli excitantur ad virtutem amplexandam.

## §. XII.

*Cur quidam voluntariam paupertatem eligant?*

Tertia classis *voluntaria frugalitatis*, ut eam veteres philosophi vocabant, seu paupertatis, monstrat, etsi tam copia, quam inopia res sit quædam ex se indifferens, qua bene, vel malè uti possunt mortales, longè tamen difficilius esse, modum tenere in diuitijs, quàm in paupertate, ac proinde diuites proniùs virtutem exuere, pauperes constantiùs retinere. Hinc sapientiores plerumque sese opibus sponte abdicârunt, quas scaphæ similes sunt arbitrati. Scapham qui flumini imponit, & aquæ decurrenti permittit, facili negotio, ipsius aquæ ductu ad mare vsque descendet. Quòd si autem contra fluminis impetum eam sursum propellere, & ad caput navigare fontemq; velit, poterit quidem, sed non æquè facile, quia ratis conto subigenda, laborandû, & sudandum est. Nummi, & opes talis scapha sunt, quas si in eum cursum, quem modo

dò



dò Mundi res habent, diuitias tuas ducere velis, citò, & absque labore, diuitiæ te in amarum damnationis æternæ mare peruehent: at si, contra Mundi cursum, & consuetissimos mores, opes tuas in cælum præmittere, & tibi amicos de mammona iniquitatis facere conaris, poteris quidem ad cælum contra Mundi impetum, etiam per opes, vehi; sed aliquid, immò multum difficultatis senties, & contra torrentem nitendum erit. Hoc cùm viderent, qui aliquid supra vulgus viderunt, etsi scirent etiam diuitias posse esse innoxias, immò posse esse instrumentum, quo cæli portæ referantur, haud tamen ignorârunt annexam ijs difficultatem, consuetudinemque hominum communem, & illecebras, quæ quia à paupertate procul sunt, ideò illam diuitijs præposuerunt, tutioraque elegerunt. At quia difficile est opes contemnere, & thesauro præferre paupertatem; cùm tamen in hoc cardo rei versetur, (nemo enim de paupertate queretur, si eam diuitijs præstantiorem iudicabit) age inquisitiùs hæc duo inter se collata dispiciamus, vt, si constet, diuites esse miseriares, pauperes autem longè feliciores, miserijs veris, veram discamus præpo-



præponere felicitatem. Neque enim aurum, aut opes sunt homini ad vitam necessariæ, etsi ei prodesse & obesse possint, sicut illa de quibus Beda ait: *Qui sunt tres amici & inimici sine quibus vivere nemo potest? Ignis, aqua, & ferrum.* Aurum amicum est & inimicum, sed sine eo multi vixerunt, viuunt, viuent.

Beda in  
Collecta-  
neis PP.

CAPVT III.

*Vel ex Ethnicorum doctrina, paupertatem diuitijs esse anteponendum.*

§. I.

*Pauperis ad Saturnum supplicatio, de rerum equalitate inducenda.*

**V**REVM Saturni sæculum, aut vitam, qualis in Paradiso agebatur, optimam latissimamque fuisse, vel Poëtæ cecinerunt. In cuius vitæ memoriam Romani veteres Saturnalia instituerunt, quibus & ipsi serui conuiuantes, dominis pares essent. Ad hoc festum igitur ritè celebrandum, cum aliquando pauperes viderent se neque nummatis esse satis, neque à ditioribus iuuari, eorum quispiam hanc epistolam ad Saturnum fingitur misisse

Vide Li-  
psium de  
Saturna-  
libus.